

CANCELL:  
MARTIS B.  
1717:



33

L. B. E. V.  
DISSERTATIO MORALIS  
DE  
**ERRORIBUS**  
**CONSCIENTIÆ,**  
QUAM  
CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS  
PHILOSOPHICÆ  
IN  
ACADEMIA LIPSIENSI  
PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI  
d. 17. Jun. MDCCXI.  
SUBMITTENT  
PRÆSES  
M. JO. CHRISTIAN. BARTHIUS,  
ZITTAV. LVS.

ET  
RESPONDENS  
DANIEL Rosenfeld / LIPS.

Philos. Bacc. & SS. Theol. Stud.


---

LIPSIAE,  
Typis RUMPFIANIS.



DISSERTATIO MORALIS  
DE  
ERRORIBUS  
CONSCIENTIAE  
ACADEMIA LIPSIENSIS  
PLACIDO EDITORIUM EXAMINI  
SUBMITTANT  
PERESS  
M. J. CHRISTIANIARTHUS  
LITTA. 1700.

W<sup>JO</sup>. CHRISTIAN HARTHIS,  
LITHA. 1742.  
REEDERIN  
DANIEL JOSEPH LITZ  
Philol. Brec. & 22. Trop. Sing.  
T. RUMMELINI.



## PROOEMIUM.

Uim sanctitati ac sapientiae omnipotentis Creato-  
ris plane repugnaverit, hominem in statu prorsus  
exlege condere, ita ut de actionibus suis pro me-  
ro libitu disponere posset ; ipsius animo nor-  
mam secundum DEI voluntatem recte agendi  
statim in ipsa creatione indidit, quam, quotiescumque officia par-  
tim Creatori, partim sibi, part. suæ naturæ sociis debita præstare  
vellet, sedulo semper consuleret ejusque ductum sequeretur.  
Neque hujusmodi ad legem adstrictio libertati hominis adver-  
sabatur, cum inditum illud legis dictamen voluntatem suis præ-  
ceptis saltem flectebat, nunquam cogebat, ideo quod Creatori  
à creatura rationali nonnisi rationalis i. e. spontaneus cultus  
conveniebat. Evidem per subsecutum infelicissimum la-  
psum non solum præstantissimum illud imaginis divina cimeli-  
um prorsus amissum, sed & naturalis boni cognitio admodum  
obscurata est, non tamen prorsus extincta, cum ērvoꝝ illæ novæ  
lumen illud veri semenque boni essentialie consequens sint na-  
turæ humanæ, sine quibus homo non amplius creatura bru-  
tis excellentior, sed ipsum ſēor ἀλεγον̄ effet. Per sanam igitur

rationem homo , quamvis intuitu revelationis obscure ac insuffi-  
cienter novit, quid DEo, quid sibi, quid aliis necessario debe-  
at. Ac utinam illa notitia perpetuo se dignum gereret!  
Sed, quæ humanæ mentis caligo & perversitas , practicum  
hoc dictamen in agendo sèpissime negligit, pervertit, suffocat,  
suamque conscientiam myriadibus fœdissimorum errorum  
opplet. Quanta tum hominis miseria! Conscientiam sequi-  
tur, sed depravatam, sed fallacem, nescio tamen quam genui-  
nam agendi regulam sibi persuadens. Cumque hi errores  
turgidorum affectuum stimulis non parum cumulentur ac cor-  
roborentur, dici vix potest, quot pericula , quot damna , quot  
turbas in omnes humanæ societatis status diffundant. Sapien-  
tissimus quidem Creator amplissimam illam societatem legibus  
hinc universalibus constringere ejusque concordiam ac inde  
profluentia mutua commoda stabilitum ire intendit. Sed  
immorigeri mortales illas velut into' erabile jugum detrectant,  
cancellos effringunt, in libertatem se vindicaturi. At qualem?  
Miseram eheu! maximeque nocivam, dum vicissim a tyranni-  
cis affectibus sub servitutem se redigi patiuntur. Sic consciencie  
directrix actionum a DEo constituta ipsa cœcutit, decipit,  
errorum sordibus inquinata. Hinc nobiscum pérpensis ani-  
mum induximus, præsenti Dissertatione in *Errorum Conscientie*  
naturam, varietatem, origines & effectus inquirere, simulque  
remedia eos feliciter, quantum quidem ratio valet, exuendi ac  
declinandi breviter subministrare. Deus cœptis nostris  
fortunatum adspiret successum!



**S. I.** Ita Etymologiam vocis *Conscientia* non diu ha-  
rebitus, cum varie ipsius derivationes passim  
prostent. Hoc certe liquet, vocem hanc vi con-  
nexa Præpositionis ultra nudam Scientiæ notio-  
nem relationem simul dicere ad aliud, quæ relatio,  
cum pro natura conscientiæ possit esse vel subje-  
ctiva, quo sensu plurium Subjectorum involvit  
scientiam; vel objectiva, quo respectu plurium  
Objectorum scientiam in eodem subiecto indigi-  
tat, posterior acceptio conscientiæ naturam penitus exhaerit. Homo  
enim & legis & actionum suarum sibi conscius est, easque legi applicando  
de iis judicat, qui actus essentiam conscientiæ absolvunt. Quo sensu  
Horatius Lib. I. ep. 1.

Hic murus aheneus esto,  
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.  
De Homonymia notandum, vocem Conscientiæ sumi 1) pro cognitio-  
ne principiorum practicorum universalium, quæ alias audit Synteresis.  
2) pro scientia actionum propriarum tum bonarum tum mala-  
rum, quo respectu conscientia vulgo nuncupatur Testis. 3) pro judicio  
de actionibus suis ad principia vel conclusiones Syntereseos instituto. Nos  
presuppositis duobus prioribus ultimum significatum in definitione at-  
tendimus, utpote magis adæquatum. De vocis Erroris origine non mul-  
tum erimus solliciti, ne ingenio præter rem induluisse videamur.

**S. II.** Ut autem rei tractande proprius accedamus, Conscientiam in  
genere sic definimus: *Est actus intellectus, quo homo juxta legis dictamen*  
*de actionibus suis voluntariis sive suscipiendis, sive jam susceptis judicat, easque*  
*vel approbat, vel damnat.* Scopi ratio definitionis hujus integrum  
enucleationem jam non permittit, nec ea adeo opus est. Non abs re ta-  
mè fore arbitramur, si Normam conscientiæ quodammodo distinctius  
explanemus. Cum enim de erroribus conscientiæ differere animus est, at-  
tique normam scire oportet, à qua illi deflectunt. Illam autem in  
definitione allata diximus Legem, puta naturalem, quæ per sa-  
nam rationem nobis innoscit, dum conscientiam in sphæra saltem phi-  
losophica spectamus. Jam naturam humanam investigantes, quasdam  
actiones necessario nobis incumbere, quasdam libertati nostræ relietas

esse deprehendimus. Hinc duplē harum actionum adesse op̄teret normam seu legem (ut pote quæ sensu morali coincidunt) alteram obligantem, alteram permittentem. *Lex obligativa* nobis est mandatum Creatoris ab eo per naturam hominum intellectui habitualiter impressum, illisque per hunc innotescens, immutabiliter eos obligans ad faciendum vel omittendum, quod cum Dei vel hominis natura necessario congruit vel pugnat. *Lex permisiva* est Creatoris decretum, per rationem nobis innotescens, ac libertatem actiones negative bonas i. e. nobis aliisque hypothetice commodas necessariisque subordinatas suscipiendo induicens. Illius objectum vocantur *Actions Morales & necessariae*, hujus vero indiferentes & liberae. Interim pro statu Reipubl. id quod lege naturæ permisum est, nisi raro per leges humanas obliganti subjicitur, imo conscientia pro ratione circumstantiarum res alioquin per se indiferentes nonnunquam ut necessarias nobis injungit.

§. III. Notanter autem diximus, legem naturæ hominum intellectui per *naturam habitualiter* impressam esse, ut innueremus, eam non deum ex contemplatione creaturarum, ex consideratione societatis humanae, ex aliorum institutione atque exinde formato discursu in mente ori, sed jam inde a prima nativitate per modum habitus analogice sic dici intellectui nostro inesse, sine tamen actu reflexivo, usque dum rationis usus accedat. Novimus enim, dari non paucos, qui legem naturæ congenitam prorsus explosum ire contendunt, ac præjudicis infantiae & neficio quibus chimæris & *μορφαις τυχείοις* accenserent. \* Dum vero legem naturæ conscientiae normam appellamus, nil obstat, quo minus Conscientiam quoque actionum nostrarum normam constituamus. Hæc enim regula proxima & immediata est, cuius interventu lex divina naturalis nos ad obsequium flectit. Nam lex eatenus tantum flectere potest, quatenus

\* Vid. Hobbesius Leviath. c. 26. p. 130. de Cive p. 12. 18. seqq. Velthusius Tr. de Incestu, Opp. p. 179 Tr. de principiis justi & decori, Opp. p. 977. seqq. Malebranche de inquir. Ver. L. III. P. II. c. 4. Lockius de Intell. hum. L. I. c. II. III. IV. cum primis c. IV. p. 70. seq. c. III. p. 14. 17. P. Belius Tom. II. Respons. p. 372. seqq. 390. seqq. Gerard de Vries in pecul. dissert. de ideis innatis contra Boëlium. Celeb. Autor Jurisprud. div. L. I. c. II. §. 66. - 69. ejusque Dissert. Prooemial §. 45. 46. Fund. I. N. & G. p. 87. Disp. de legum Mosaicarum distinctione, ubi §. II. duris sane verbis leges innatae vocantur fallacia Theologorum. Et prius aliquod segmentum ad coercendos turbulentos in Republica.

tenus intellectus ejus cognitione imbutus est. Interim conscientiae cum lege divina per se spectata eadem vis normativa inest, quanquam disparitas sit in modo habendi. Proinde quisquis contra cuiuscunque speciei conscientiam agit, graviter peccat, quia conscientiae dictamen pro ipsius legis divinae dictamine agnoscit, quod tamen respuere non veretur.

§. IV. Paucis etiam attingere licet Conscientiae divisionem, cum ad illius naturam distinctius intelligendam plurimum faciat. Vulgaris autem Peripateticorum divisio non adeo per omnia coheret. Et primo quidem ratione varietatis actionum dividitur in *Anecedentem*, quae de futuris, & *Consequentem*, quae de praeteritis factis judicat. Porro Antecedens est vel *Determinans*, vel *Dubitans*. Illa cum actionis moralitatem decidit, tum ejus commissionem vel omissionem decernit. Ea autem decisione vel recte vel perperam procedit. Prius si fiat, conscientia *Recta*, sin posterius, *Erronea* audit. Rectam commodissime sic definiri posse arbitramur: *Est judicium intellectus è principiis evidenteribus vel verisimilibus legitime deductum, hominem vel ad agendum vel ad omittendum determinans.* De erronea vid. §. seq. Recta iterum subdividenda venit in *Apodicticam*, quae è claris & indubuis principiis cum animi plerophoria procedit; & *Probabilem*, quae è verisimilibus principiis cum aliqua formidine oppositi colligit. Communiter conscientia recta cum certa seu apodictica permiscetur, rectaque probabilis opponitur; (vid. *Pufend. de J. N. & G. L. I. c. III. §. 5.*) cum tamen oppositum probabilitatis non sit restringido argumentationis: omnis enim conscientia probabilis regulariter etiam est recta; sed certitudo seu apodixis, adeoque Conscientia recta & probabilis differunt ut *Genus & Species*, quae sibi non opponi, bene tamen subordinari possunt. Conscientia dubitans est vel *strictè talis*, vel *scrupulosa*, quarum specierum definitioni jam non immorarum.

§. V. ERROR in genere est *differentias conceptus reique concepta*. Ubique notandum, errorem formaliter non coincidere cum ignorantia, sed illum hac esse latiorem. IGNORANTIA enim est *simplex vera cognitionis absentia*; error autem praeter hanc absentiam simul includit falsam de objecto persuasionem. In disciplinis autem moralibus ignorantia & error promiscue usurpantur, siquidem actiones ex ignorantia profectae semper involvunt conceptum aliquem positivum, ut ut à rei veritate abundantem, neque ullius actionis principium esse potest nuda cognitionis priatio. ERROR autem CONSCIENTIAE, circa quem Dissertatione  
2017

hæc occupatur, ita nobis describitur, quod sit *Judicium intellectus & principiis vel in se falsis, vel veris quidem, male tamen intellectis & applicatis deductum, hominem in agendo decipiens*. Definitionem hanc tuis resolvere, haud opus; illustremus eam exemplis. Sic ambitiosus è principio in se falso argumentatur: *Quicquid facit ad amplificandam propriam existimationem, illud omni conatu est faciendum.* Atqui hæc vel illa actio facit &c. E. *Vicissim fanaticus è principio vero, sed male applicato ita concludit: Quicquid Deus prohibuit, illud est peccatum, & deoque vitandum.* Atqui omne iuramentum &c. E.

§. VI. Juvabit nunc varia errorum conscientiae species scitu necessarias tradere. Et quidem ratione 1) *Objecti*, circa quod error conscientiae versatur, est vel *juris*, vel *fatti*. Ille importat ignorantiam legum universalium vel exinde deductarum conclusionum normaque fallacis approbationem. E.g. Si quis sibi persuaserit, divitem occasione data esse defraudandum, licere vagas libidines, digladiationes, cavillationes, &c. Cum primis hoc spectant omnes errores practici in negotio religionis. Ubi notandum, in errore juris universalis nunquam obtinere persuasionem firmam & πεπληρωμένον, ita ut animus per evidentiam ipsius rei convictus solidum sine omni tenore conscientiae prebeat assensum. Deinde mens sceleris (quæ pro talibus haud agnoscit) non quidem directe præcepta, licet tamen esse putat, varios colores iis superinducens. *Error facti* est, cum quis veram legis notitiam ob intercedentem objecti aliarumque circumstantiarum ignorantiam impulsive applicat. E.g. Si judex plectat insoltem; si quis pharmacum alicui salutis causa porrigit nesciat esse mortiferum.

§. VII. 2) *Ratio ne Principi error conscientiae est vel vincibilis vel invincibilis*. Ille est judicium practicum circa jus aut factum vel ex malitia mediorum cognoscendi repudiatione vel ex supina negligencia ortum, actionem reddens vitiosam. Hic est judicium practicum hominem in agendo quidem decipiens, sed ob defectum cognitionis impossibiliter vel difficulter consequenda actionis imputationem impediens vel temperans. Exempla præcedentia illustrandæ utriusque speciei jam inserviunt. Quæ autem ulterius circa doctrinam hanc tenenda sunt, §. seq. ostendemus. Hoc tamen prius monere licet, errorem vincibilem quoque dici posse voluntarium, eo quod a prava voluntatis dispositione dependet, quemadmodum & error invicibilis cum *involutione* pror-

prorsus coincidit, siquidem uterque, citra voluntatis consensum, obtinetur. Proinde supervacaneum fore duxerim, cum Peripateticis utramque divisionem nimis subtiliter ac operose à se invicem discernere.

§. IX. Error Conscientiae circa jus regulariter vincibilis est, uti circa factum invincibilis. Sed casus evenire possunt, ut etiam error circa jus evadat invincibilis, saitem excusabilis, puta, si lex aliqua civilis valde sit intricata, vel persona ejus sit conditionis, ut ab ea scientia legis jure stricto exigi nequeat. Nec minus circa factum Error Conscientiae vincibilis dari potest, si adsit possiblitas & obligatio errorem discutiendi, utraque tamen ex incuria posthabetur. E.g. Si nauclerus imperitus tempore belli navem onuslā portum hostilem intrare sinat. Præterea dari potest Error Conscientiae invincibilis seu involuntarius ratione actus, sed non ratione originis, cum quis in ipsa quidem actione errorem dispellere nequit, in culpa tamen est, quare in eum inciderit. E. gr. Si quis bene potus aut ira excandescens maledicta evomat, alterum laedat, paclum sibi noxiū contrahat. Ex quo patet, hanc errorē revera esse vincibilem & voluntarium, quo spectat illud: *Involuntarium ex voluntario orrum habetur pro voluntario.*

§. IX. 3) Ratione NORMÆ Error Conscientiae est vel *moralis*, vel *indifferens*. Ille occupatur circa actionem à lege vel præceptam vel interdictam, quarum illam pro vetita saltē libera habet, hanc pro iusta, minimum indifferenti. Prioris generis exemplum esto, si v.c. quidam desperabundus credat, propriæ vite conservationem in casu extremæ ac incluctabilis miseriae indeque redundantis intolerabilis anxietatis non esse præceptam, ideoque manus violentas sibi inferat. Posterioris exemplum nobis suggerit Afer pirata sibi persuadens sui sustentationem ex perpetuis latrociniis maritimis quæsitam esse genus vite à Deo præceptum. Error *indifferens* circa actionem versatur à lege obligante nec præscriptam, nec interdictam, sed à permittente libere concessam, quam tamen vel præceptam vel prohibitam credit. E.g. Si Turca existimat, se piaculum committere, bibendo vinum, cuius tamen usum lex naturæ liberum relinquit. Pertinent huc omnes plebeiorum & muliercularum, in rebus indifferentibus sibi peccata, ubi nulla sunt, fingentium, superstitiones.

B

§ X.

§. X. 4) Tandem ratione **EFFECTUS** seu *imputationis* Error difficitur in *Efficacem & Concomitantem*. Ille resultat ex insuperabili cognitionis defectu vel quadam incuria, quem tamen, ubi detectus fuerit, agentis poenitentia consequitur. E. g. Si miles in fervore pugnandi Ducem fortuito sibi obvenientem, vel pugna utrinque terminata eminus eum conspiciens globulo ferreo prostrernat, dum hostem fuisse credidit, cognito tamen errore dolorem & poenitentiam contestatur. *Hie* subnascitur quidem ex ignorantia invincibili vel levi quadam negligencia, agnitus tamen comitem potius habet delectationem. E. g. Si miles Ducem suum sibi alias exosum vel inscius, durante pugna, vel praecipit post eam citra tamen præviam intentionem sclopeto trajiciat, sed errore à se animadverso vice doloris gaudium exinde conceptum aperte significet.

§. XI. Hæc divisio ut eo rectius capiatur, sequentia notanda sunt lemmata : 1) Quia versutia mentis humanæ dolorem & poenitentiam simulari ac cuiuslibet actionis imputationem sibi molestam eludere potest, sinceritas & fucus doloris dijudicandi veniunt ex conursu circumstantiarum, quæ aberranti occasionem præbuerunt errorem disspellendi, vel minus. 2) Prout error magis vel minus invincibilis & involuntarius fuit, actionis eriam imputatio magis minusque temperatur. Quæ de imputatione contractuum damnum prius ignotum alterutri elicentium alias monentur, præcise huc non spectant, cum illi per se sint actiones licite, nobis autem hucusque sermo fuit de erroribus conscientiæ tanquam actionibus illicitis.

§. XII. Antequam pedem promoveamus, monendum, Errores Conscientiæ se per omnes ejus species diffundere. Afficiunt nimirum Conscientiam antecedentem & consequentem, cum quis ex ignorantia veræ legis vel circumstantiarum necessariarum de actionibus adhuc patrandis vel jam patratis perperam judicat. Diffundunt se in Conscientiam apodicticam & probabilem, non quasi naturam ejus per se immutare possint, sed quod misere deceptis mortalibus vel apodiceos vel probabilitatis simulacro sepius blandiuntur, ut aliquam sibi convictionem aut verisimilitudinem imaginentur. Qua de re legi meretur exsciata Dn. D. Sontagii Disp. de *Convictione imaginaria* Altorff. 1707. hab. Äger ex conscientia dubia Charybdin evitare cupiens Scyllam transver-

versam facile incidit, h. e. pro corruptione mentis humanæ ex ignorantia & dubitatione ruit in errorem. Conscientia scrupulosa per se jam errorem involvit, dum scrupuli eam discruciantes lubrico p̄terumque nuntur fundamento.

§. XIII. Jam in ORIGINES errorum conscientiae paulo altius erit inquirendum. Offerunt hic se se partim *Cause*, partim *Occasiones*. Causas non immerito dividimus in *internas* & *externas*, quarum illas partim in *anima ipsa*, partim in *corpo* deprehendimus. Animam quod attinet, causa generalis & remota in ea est LABES ORIGINALIS, omnibus mortalibus connata. Hanc ratio sibi relictâ prorsus ignorat. Protoplasmrum enim divaricatio, quæ deplorandum hunc morbum nobis inservit, res facta est, sola revelatione divina nobis constans. \* Quicquid enim nonnulli veterum Mythologorum de hoc lapsu aliisque gestis biblicis mussitarunt, id vel plagio ex V. T. vel ex fama & conversatione cum Judæis hauserunt. \*\* Ista labes non solum voluntatem, sed & intellectum miserandum in modum depravavit, adeo ut intellectus non solum ex participatione voluntatis, sed & per se maximopere sit corruptus frustra hic in contrarium abeunte Malebranchio L. I. de inquir. Ver. c. 2. & Noris in Confid. rat. & fid. p. 95. qui proinde solam voluntatem cum pravis suis motibus omnium errorum seaturiginem constituunt, ad stipulante iis Celeb. Thomasio in Prof. ad Poiretti Tr. de Erud. & Fund. J. N. & G. p. 4. 25. 34. Vel solus Moses scriptor divino Spiritu actus εὐρημα hoc solidissime refellit, afferens omne figmentum cognitionum cordis humani à teneris jam esse malum Gen. VI. 5.

§. XIV. Inter morbos, quibus INTELLLECTUS laborat, quique judicium ejus ut in theoreticis, ita & in practicis pervertunt, primo quidem se se prodit I. IGNORANTIA RERUM PRACTICARUM, quæ resp. notionum acquirendarum jam inde à nativitate nos premit, quæque deficiente animi cultura nec in adulta ætate sua sponte nos deserit. Ubi enim intellectus rerum scientia non imbuitur, ignorantia sterilis

\* Vid. Magnif. nostri Dn. D. Schmidtii Disp. de peccato orig. gentilibus ignorato Lips. 1684. hab. it, M. D Omeisii Disp. de Ethnico amissionis divinæ imag. convictio Altorff. hab.

\*\* Conf. Huetii Demonstr. Evang. Prop. IV. c. 10. §. 6. Hildebr. Ep. Cent. 2. fab. 64. 65.

ris hand manet, sed myriadum errorum secunda mater est, qui successu temporis intellectui spissum velui situm obducunt, ut deinceps in agendo non nisi fallacem praebere queat normam. Hinc supra §. V. diximus, in moralibus ignorantiam & errorem promiscue accipi, eo quod in actione erronea ignorantia nunquam sine errore, nec error unquam sine ignorantia existat. Tanta, proh dolor! mentis nostræ corruptio est, ut per naturam, neglecta correctione, longe magis ad amplectendos errores, quam veritates sit proclivis. Ipsa connata principiorum practicorum notitia in homine pravis affectibus litante quasi lumen per fissuras tenebricosi conclavis nonnisi radioles spargit, imo per malitiam læpius, ad tempus sat longum plane obfuscatur aut in pessimum abusum trahitur, utut per omnem vitam prorsus extingui nequeat.

§. XV. Ignorantia quadanterus excusa in plerisque tamen remanet II. CONFUSA ET SUPERFICIA RERUM PRACTICARUM, COGNITIO. Evidem non ab omnibus acroamatica, excellens ac quibuscumque dubiis enodandis pars scientia exigitur; pro aeratis vitaque rationis statu tamen sufficiens à nemine abesse oportet, quam sibi acquirendi media neminem deslituant. Sed plerique mortalium delinimentiis pravorum affectuum industi obscura & persimilioria rerum practicarum notitia contenti sunt, earumque compaginem tantum per transennam inspiciunt, perpetuo velut crepusculo intellectum occupante. Hinc facilis in errorum diverticula deflexus non secus ac si quis, præmiceante facula saltem fumante, illidit, aut via recta prorsus aberrat.

§. XVI. Porro intellectus laborat III. PERTINACIA, quæ hominem eo pertrahit, ut sententiam semel a se approbatam, utut erroris convictus, mordicus tamen tueatur, pingat & incrusteret, aliorum rationes vel plane non attendat, vel leviter tantum inspiciat, metuens, ne instituto accuratori examine veritas opposita mentis suæ oculos nimium perstringat, aut dubiis eam oppleat. Non parum iste morbus fovetur atque firmatur, si quis per naturam ad ambitionem propendeat. Quid enim ambitiosi pro stabilienda sua hypothesi semel recepta omni tempore non moliti sunt, & adhuc moluntur? Tot scriptorum eristicorum largissima seges, quam secula nostra (narrat etiam xxv dixeris contentiosa) quotannis protrulerunt, id satis loquitur. Nec unquam ulla tam absurdâ, tam impia è cerebro maleferiato-

seriorum hominum prorepsit opinio, quin suos invenerit basatores. Oppositum ejus itidem in intellectu obvium est IV. CREDULITAS, cum quis ad amplectendam aut deferendam aliquam hypothesin vel ad fidem cuidam factō habendam nimis facilis est, antequam rationes & circumstantias sub debitum revocaverit examen. Oritur ex ignorantia, superficiaria cognitione, hebetudine judicij &c. Non exiguum ei robur addit Voluptas ejusque filia Ignavia. Cum enim voluptuarii & ignavi per temperamenti naturam sint varie flexiles, laborumque impatiences, attenta & operosa rei aliquujus expensio nimium ipsis videtur molesta: hinc per compendium iter instituere malunt, ea pro veris aut verisimilibus habentes, quæ ipsorum passioni cumprimis abblandiuntur. Gignit hæc credulitas notum illud Prajudicium autoritatis, quod maximam hominum partem fascinavit, & quod Cicero ita verissime delineat: *Tantum sepe opinio prejudicata potest, ut etiam sine ratione valeat autoritas.* Lib. I. de Nat. Deor. c. 5.

§. XVII. Nec minus intellectui nostro inhæret V. NEGLIGENTIA, per quam congenitam ignorantiam ob falso persuasam acquirendæ scientiæ vel difficultatem, vel levitatem, vel inutilitatem nec propria industria, nec aliorum adminiculis excutere studet, verum passionibus obtemperans errores erroribus cumulat. Non parum fomenti & augmenti accipit à voluptate & ignavia, ipsamque credulitatem ordinariè comitem habet. Ultima tamen scaturigo in morbis jam §. §. 14. 15. allegatis ponenda erit. Opponitur ei VI. SCRUPULOSITAS, potissimum in melancholicis obvia, per quam de actionibus sive suscipiendis sive jam susceptis scrupulos vel exigu vel nullius momenti sibi format, idoque cum perpetua mentis angustia colluctatur. Conjuncta est cum suspicione, dum scrupulosus nec sibi nec aliis fidem habet, omnianque in deterius interpretatur. Errores conscientiæ gignit non tantum indifferentes, sed & morales v. g. licere vitam in perpetuo moerore transfigere: hinc nisi tempestivum adhibeatur remedium, tandem degenerat in maniam & desperationem.

§. XVIII. Succedit VII. PRAECIPITANTIA, per quam intellectus ante legitimum rerum examen vel nimium habilitate sua fretus, vel affectuum intemperie præventus vel credulitate inductus aliquid verum aut falsum esse judicat ac in errores ita se præcipitem agit. Ejus causa hastatus

nus recensit mentis defectus, præter scrupulositatem, possunt existere; ipsa autem crebro pertinaciam gignit, dum quod præcipitanter dictum est, pertinacius plerumque defenditur. Incrementum sat noxiū ei suppeditat voluptas & ignavia, siquidem hæc vitia consequentes sollicitam præmeditationem lubenter detrectant, rebus sensualibus præmentalibus magis intenti. Hinc sententiam passioni suaviter arridentem ambabus velut ulnis confessum arripiunt verissimamque pronunciant. Non raro tamen firmatur ex ambitione, siquidem multi gloriæ sibi ducunt, de rebus obviis ex tempore statim ferre judicium. Opposita ipsi est VIII. NIMIA DUBITATIO, per quam intellectus vel liquidis rationibus assensum denegat, nullamque rerum certitudinem veritatisque criterium dari existimat, ac adeo quævis animo prorsus fluctuante peragit. Morbus hic infastus ille Scepticismus est, quem Petrus de Villemandy omnium malorum sentinam appellavit in Scepticismo debellato c. II. qui que non solum olim, sed & hodie multorum animos præoccupavit, coque absurditatis protraxit, ut tandem de propria sui existentia (hæsitus an serio) dubitarint. Quemadmodum vero mentis hæc ægritudo quoad intellectum ignorantiam, superficiariam cognitionem, emendationis negligentiam, quinimo pertinaciam pro scatebris agnoscit, ita quoad voluntatem potissimum vires capit ex ambitione. Tales enim Acataleptici supra vulgus sibi sapere videntur, sed dum errores tantopere declinare student, in sexcentos alios prolabuntur, qui circa moralium veritatum certitudinem eo sunt periculostores.

§. XIX. Ulterius in morbido intellectu latet IX. CALLIDITAS, per quam intellectus malum sibi constituit finem, mediaque illum consequendi solerter excogitat, quæ sepius virtutum speciem præ se ferunt. Vident multi, simulacris virtutum ab imperitis & credulis plus existimationis & utilitatis sibi obtингere, quam crassis & apertis scriberibus, quæ omnium adversus se detestationem carent. Quia tamen ob inquietudinem animi stimulantibus affectibus satisficeri avert, hunc finem tacito sub pectori premunt, mediis ad scopum hunc facientibus fucum externæ eujusdam honestatis obducunt, quæ sepius quoad substantiam actus legi respondent. Pertinent huc omnes veterum gentilium speciosæ virtutes ac nostri seculi Christianorum actiones vitiosæ sancti prætextus pallio vestitæ. Quælibet interim voluntatis passio non  
le-

leviter hunc morbum adauget. Opponitur calliditati huic X. IMPRUDENTIA, per quam voluntas bonum equidem intendit finem, intellectus autem genuina eo perducentia media non excogitat. Oritur ex ignorantia, superficiaria cognitione, præcipitania, hebetudine judicii &c. Passiones voluntatis hic quidem per bonam intentionem ex parte nonnunquam coercentur, ambitio tamen vix animadvertisentibus saepius subreptit, quæ animum erga correcturos pertinacem reddit, ipsumque adeo finem obliquat. Exemplo nobis sunt multi ex haereticis antiquis intentione primum non adeo culpabili instruati, qui tamen exorta restitutus sentientium contradictione insinuati ambitionis, ne errasse viderentur, suos errores fere plusquam canina mordacitate propugnarunt. Conf. B. D. Baieri Diff. de Ambitione heresum causa Jen. 1692. hab. it. Sandersonii Tr. de Cons. Praelect. II. de bona intent. p. t. B. D. Neumannii Diff. de bona intentione 1706. hab.

§. XX. Denique non levis animi morbus est XI. PRURITUS NOVATURIENDI, vi cuius quis non nisi novarum & inauditarum opinionum inventioni studet, vel ab aliis inventas prompte amplectitur. Etenim mens nostra varietate delectat, ac cupiditate nova experiundi perpetuo flagrat. Cumprimis ingenii novaturientibus antiqua sordent, arrident nova. Sed plerumque fit, ut opinionum portenta & monstra excludant, vel ab aliis exclusa cum gaudio exosculentur. Quid mirum? si innumeris ita locupletentur erroribus, qui ratione Conscientiae saepius non parum periculi post se trahunt, excussu deinceps eo difficiiores, quo altius egerunt radices. Ex intellectus morbis connebam fere habet præcipitiam, insigne autem robur adipiscitur ex ambitione: hinc laudi estimant, ab omnibus haec tenus receptas hypotheses enervare. Hanc in rem legi meretur Biga Differt. Magnif. Dn. D. Reckenbergii de sana & malesana in Theologia Curiositate 1668. & 72. Lips. hab. It. Ejusdem Diff. de Studio Antiqu. & Novit. ibid. 1698. hab. Opponitur ei XII. NIMIUM ANTIQUITATIS STUDIUM, per quod quis diu receptas, sed minus fundatas opiniones inconsiderate sovet atque propugnat. Multi nimurum animadvertisunt, in quos errorum labyrinthos & præcipitia nimium novitatis studium non paucos abriperuerit. Hinc antiqua depraedicant, sectantur, defendunt. Utinam vero id saepius non ruinoso fieret fundamento. Non enim omne

Domine antiquum semper optimum, ac quodvis seculum suis scutuit erroribus. Cum primis studiis hoc in moralibus errorum fertile solum est, si qui prajudicis majorum, parentum, praeceptorum aliorumque diu innutriti, meliora quamvis edociti, tenaciter adherent. Scopus diversimodus est, illis ambitioni, his voluptati, aliis avaritiae victimas tantibus, qua propensiones studium hoc mirifice firmant, vires jungen-tibus intellectus morbis. *Conf. laudatam Diff. de Stud. Nov. & Antiq.*  
§. 13. seqq.

§. XXI. Referas hoc quoque XIII. NATURALEM INGENII HEBETUDINEM, sub quo communiter imaginandi, judicandi ac remissendi vim complectuntur. Scilicet nonnulli naturam adeo nover- cantem experti sunt, ut eorum phantasia, judicium & memoria infirmitate haud exigua laboret, cuius rei causam plerique Physicorum molliori substantia cerebri ejusdemque fibrillarum texturæ nimis porosæ at- tribuunt. Jam sicut ejuscemodi effectibus pressus in Theoreticis præ aliis mentis ἀγχωίᾳ pollentibus plures subinde errores incurrit, ita non minus erroribus practicis involvitur, qui tamen vel leges specialiores mentis solertiam prærequirent ut scitu difficiles, vel circumstantias facti, vel indifferentia plerumque concernunt, accitra voluntatis delibera-tatum consensum exoriuntur, cum ingenia hujusmodi credulitati qui-dem ac præcipitantia, non tamen adeo facile malitia locum dent.

§. XXII. Speciatim XIV. CORRUPTA PHANTASIA non le- ves in Conscientiam errores ingerere apta est. Phantasia nimis rurum in judicium, memoriam, propensiones & affectus voluntatis notabilem ha- bet influxum, haec omnia varie modificando. Jam si variis ex causis, quas Medici potissimum ex cerebri constitutione, Spirituumque vitalium cursu derivant, depravata sit, reliqua facultates animæ hoc infelici contagio simul afficiuntur, quo minus debite officio suo fungantur. Haec phantasie corruptio in eo consistit, quod non sequitur impressio-nem ab objectis factam, sed eam pro modulo suo refingit augendo, minuendo, immutando, ut adeo imagines rebus dissimiles in ea existant, vel vividissimo modo multiplicentur tamque obruant. Unde judici- um simul patitur eclipsin ideas inepite vel combinando vel separando. Jam aberrante judicio nonnisi corrupti exurgunt affectus lumen judicii magis magisque obscurantes. Exemplo luculentio nobis sunt Fanatici, quorum

quorum jactitatis ecstases, locutiones internas, visiones, somnia &c. eorum phantasie corrupte recte ad scriperis. His autem phantasmatibus, quoad negotium religionis, in gravissimos errores omni tempore prolapsi sunt, saepius in horrenda scelera erumpentes v. g. turbas adversus magistratum, incestuosa matrimonia, iniqua divorzia. Videsis Sledani Hist. L. X. Crass Hist. Quakerismi & Dn. D. Feuerkingii Gynaeum Haret. Fanat. Quantum negotii phantasia in cultu religioso piis etiam facessat, erudite ostendit B. Hammenckius in Tr. de Turbelis phantasia.

S. XXIII. Ad errorum conscientiae causas ex VOLUNTATE derivandas ordo rei nos deducit. Cum vero essentia voluntatis in perpetua propensione ad bonum (sive genuinum sit, sive apparenſ) consistat (vid. Malebranche de inquir. ver. L. I. c. 1. p. 5.) & vero infinita bonorum sit varietas, recte tres generales eorum classes constituantur, scil. bonum gloriosum, utile & jucundum. Jam si homines diversa haec bona decenti appetenter moderatione, summoque bono subordinarent, nullum appetitum voluntatis inesset vitium. Sed quorsum ipsos irrationalis eorum philavita non abripit? Laxatiss affectuum habenis nec modum nec ordinem à sana ratione prescriptum in appetendo servare norunt aut nolunt. Insatiabili eorum cupidine ardent, omni rationis freno eos subinde stimulante pertinaciter morso vel penitus conculcato.

S. XXIV. Hic irrationalis appetitus cum pro diversitate triclicis illius boni, sed immodice ac prepostero quæsiti, diversimode modis dicetur, tres etiam generales vitiæ voluntatis propensiones inde rursus emergunt, nimurum AMBITIO, Avaritia & VOLUNTAS. Vulgo appellantur Passiones, quæ denominatio Cartesio in Tr. de Pass. anim. suam debet originem, quem plerique recentiorum sequuntur. Haec passiones non amplius tendunt in bonum verum, sed tantum apparenſ, quod prout vel hominis de se existimationem afficit, vel sensus externos titillat, vel ejus conservationem promovere videtur, itidem in decorum, utile & jucundum despici potest. Jam non omnium errorum conscientiae scaturiginem cum Cartesianis in sola voluntate ponimus, cum haec tamen non paucas eorum causas in

ipso intellectu radicatas detexerimus; voluntatem tamen ejusque prae-  
vos affectus cum morbis intellectus horum errorum causam com-  
producentem, sustentantem & corroberantem constituimus, quo-  
niam in homine affectibus succumbente ac proæretice errante volun-  
tas hifce calcaribus stipata vehementius agit præ intellectu, cuius  
rationale dictamen tum valde languidum subinde retundit, vicissim  
naturalē ejus proclivitatem ad errores magis irritat & actuat.

§. XXV. Quomodo hæ perversæ voluntatis inclinationes er-  
rores conscientia cum intellectu simul producant, id potro edifferen-  
dum est. Nimirum intellectus & voluntas non essentialiter, sed  
formaliter tantum nostroque concipiendi modo differunt. Quid e-  
nim intellectus aliud, quam anima intelligens? quid voluntas, quam  
anima volens? Unde prono fluit alveo, quod utriusque facultatis ope-  
rations archissime sint connexæ, unaque in alteram agat, quamvis  
intimam hujus commercii rationem specialissime definire nequamus.  
Hoc interim propria quenvis experientia condocet, regulariter a-  
ctionis voluntaria iniuriam esse ab intellectu bamanu. Inde tristum il-  
lud: Ignoti nulla cupido; quanquam ea cognitio actum voluntatis antece-  
dens non semper sit distincta, cum etiam confusa ad hoc sufficere possit,  
ut voluntas se moveat, verissime ita dicente Pufendorffio de J. N. &  
G. L. I. c. III. p. 39. Præterea dictaminis rationis conjuncta proclivi-  
tate voluntatis ad bonum naturale competit dominium in affectus  
subinde exorbitare gestientes, quod etiam in statu mentis sano exercet.  
At si quis affectuum intemperie se abripi patitur, his præpostorum  
tane dominium in intellectum permittit, ut hic de objecto, non nisi  
perperam aut confuse cognito, etiam non nisi perperam & confuse, ut  
trobique tamen juxta passiones judicet, itaque scipsum & voluntatem  
misere decipiatur. Evidem in eo statu voluntas turgidis affectibus e-  
bulliens neutquam imperium aliquod absolutum in intellectum sibi  
arrogare potest, adeo ut quiescet iste agat, a sola voluntatis arbitrio in-  
eluctabili modo dependeat: nam per notitias practicas partim connotata  
partim acquisitas vim relaxandi melioraque monendi quamvis debi-  
litatam semper retinet, subinde etiam exerit; nihil ominus tamen  
voluntas insulatum vehementia intellectum ob naturalem ejus rudi-

ta

tatem, negligentiam, credulitatem, præcipitantiam &c. per se jam  
cum languentem facile piertrahit in assentum sibi gratum, ut, tan-  
quam coœcus de coloribus, ea judicet esse bona, ideoque facienda,  
quæ irritatos affectus svaviter demulcent.

§. XXVI. Intellectus si ita obtenebratus ac in rationalibus suis  
operationibus sufflaminatus, homo se ipsum misere decipiens gene-  
ralissimum illud πνῶν ζεῦς sibi fabricatur, singulisque actionibus  
fundamenti loco substernit: *Quicquid passionibus meis convenit, illud*  
~~est faciendum.~~ Et cum tres corruptæ voluntatis extantiores propensi-  
ones dari jam supra ostenderimus, pro diversitate sua tot quoque ge-  
neraliora præjudicia omnium errorum conscientia infastam geni-  
tricem excludunt. Hinc vanæ ambitionis oœstro percitus hoc præju-  
dicium vitæ regulam sibi constituit: *Quicquid facit ad dilatandam*  
*existimationem, illud est agendum.* Voluptatum cupidine flagrante  
hoc sibi pseudaxiom a eligit: *Quicquid facit ad explendas sensuum vo-  
luptates, illud est agendum.* Auri sacra fame tabescens hancce regu-  
lam pro�us auream existimat: *Quicquid facit ad cumulandas opes,*  
*illud est agendum.* Unusquisque deinceps occasione præsente in di-  
vidualiter subsumit atque concludit. Interim cum nemo non mortali-  
um tres illas vitiosas propensiones per naturam conjunctim in corde  
gestet, ac in statu mentis morbido foveat, nutrit, ita tamen, ut e-  
strum una semper prædominetur, vel cum altera de palma decerter,  
quivis etiam præjudiciis inde scaturientibus animum præoccupatum  
habet, uno tamen, impulsu passionis regnantis, perpetuo caput effe-  
rente. Instituti ratio haud fert, alioquin ad specialiores è jam addu-  
ctis præjudiciis propullulantes errores descenderem⁹, ostensuri, quib⁹  
conscientiae erroribus ambitiosus, voluptuosus & avarus in officiis  
erga Deum, erga seipsum & erga aliostum generatim, tum specia-  
tum pro certo vita stane implicantur.

§. XXVII. Hactenus de causis internis errorum conscientiae in  
ipsa mente sedem præcise figentibus. Causas in CORPORE obvias, a-  
deoque remotis accensendas, quod attinet, nominamus hic I. TEM-  
PERAMENTUM, per quod intelligimus mixturam sanguinis ex primis  
ejus principiis elementaribus factam, quæ se mutuo temperant, uno  
tamen semper excedente. Jam tres supra memoratae voluntatis pro-

pensiones nonnisi interveniente temperamento excitantur, cuius rei causa ex intimo corporis animique commercio derivanda erit. Id vero nonnulli per quamq[ue] ingeniose ita deducunt: quod, quoties mens res externas corporis interventu percipiat, toties simul corpus habitudinis suae, in qua[m] a rebus illis conjectum est, ideam menti imprimat, quae ad corporis motus non adeo indifferens, germinatis sic illecebris, eo vehementius rem vel appetat vel avertatur. Et cum nonnisi tres eminentiores in corpore, speciatim in sanguine habitudines deprehendamus, haud opus est, quatuor temperamenta totidemque propensiones voluntatis constituere, cum phlegmaticum reliquorum tantummodo certa sit modificatio, a sortia autem commode referri possit ad voluptatem, quae hic per gustum se potissimum exerit. Praesupposito sic temperamentorum propensionumque arctissima σχέσεις & connexione, facile dijudicatu est, quomodo temperamentum ad errores conscientiae producendos concurrat. Scilicet cholericus maxime obnoxius est erroribus ex ambitione, sanguineus erroribus ex voluptate, melancholicus erroribus ex avaritia oriundis.

§ XXIX. II. Sexus itidem ac III. Aetas hic suo modo, sed remote concurrunt. Sic v. g. sexus sequior partim ex indele temperamenti, partim ex viro educationis aliisque causis erroribus plerumque premitur, quae fluunt ex superficiaria rerum moralium cognitione, credulitate, superstitione, negligentiâ, præcipitania &c. In multis casibus præ sexu virili quedam sibi licere opinatur, ubi nulla ipsi competit immunitas. Hinc facilis hallucinatio. Aetas interveniente temperamento in errores conscientiae insuit. Equidem aetas temperamentum non quoad speciem, bene tamen quoad gradum immutare valet, ut pro aetatis diversitate fortius aut languidius se exerat, sibique conexam passionem extimulet. Hinc in juventute plerumque primas tenet voluptas, in aetate virili ambitio, in senectute avaritia. Jam si una horum passionum per temperamenti naturam insuper tunc prædominetur, adeo effervescit, ut homo eam aetatem vivens, ni emendatus sit, illi modum sere ponere nesciat, ac in detersandos excessus sepius proripiatur. Errores inde passioni tum supereminenti blandientes simul enasci, manifestum est. Quælibet aetas peculiaribus etiam intellectus morbis superioris adductis laborat, cuius rei quidem in-

stitui

titvi potest applicatio, quæ tamen, experientia teste, infinitis exceptionibus subjacet.

§. XXIX. Lustratis errorum conscientiae causis internis pergimus ad Externas, in quibus eminet I. PRAVA EDUCATIO. Scilicet a parentibus negotiis nimirum distractis vel admodum delicatis liberosrum educatio ut plurimum relinquitur vel nutricibus, illorum animos inceptissimis ideis imbueritibus; vel praceptoribus educationis genuinæ sèpius ignarîs, superficiariam tantum rerum practicarum notitiam mentibus liberorum instillantibus. Tacco, quantum noxæ Parentum, Praeceptorum ac famulitii prava exempla, quorum ad conspectum liberi passim temere admittuntur, hic adferant. Dici vix potest, quot quantosque errores tam corrupta educatio tenellis animis ingenerat. Vulgo dicuntur Präjudicia infantiae, multisque per totam sèpius vitam infixa manent, dispulsi difficultissima. In adulta ætate novos subinde progingunt errores, pessimorum vitiorum, quibus mortales se contaminant, fontem venenatum.

§. XXX. Succedit II. PRAVA CONVERSATIO. Innuimus eam, quæ etatis adultae ac virilis est, nam quæ tenerioris, simul ad educationem spectat. Conversationem socialis hominum natura exigit. Conversatio mores hominum singulari cum efficacia singit, ac eorum inter conversantes similitudinem introducit. Exempla enim viva mentem nostram longe efficacius serunt, ac in imitatione pertrahunt, quam copiosa regularum congeries perfunctorie saltem memorie inhærens. Jam si quis versetur cum pīs honestis atque cordatis, mores eorum simul induit, ac in omnibus studiose conscientia rationem habet. Si autem vitiosorum consortis implicetur, moribus eorum simul coinquuntur eorumque præjudicia imbibit. Imo juxta Menandrum: Φειρατον ἡθη κρίσις σωματικαι.

§. XXXI. Pertinet huc quoque III. LECTIO LIBRORUM NOXIORUM, qui vel aperte, vel occulte virus Atheismi, Naturalismi, Indifferentismi, Fanaticismi &c. propinant. Cum primis bonis moribus iniuriant, sunt libri Magici, versus fescennini, omniaque scripta Priapæa, inter quæ multorum fabulas Romanenses, ut vocant, hanc immemoriter reculeris. Huc quoque spectat juvenum incœta minusque sobria quorundam poetarum gentilium lectio, lascivæ favillas in eo-

-sum animis sufflans. Hinc Celeb. Buddeus optat, ut hujuscemodi monumenta oculis juvenum vel plane subducerentur, vel ex consilio Jo. Schefferi ea seorsim publicarentur, que ab iis citra dampnum legi possunt. Vid. ejus eleg antiss. Diff. de cultura ingenii c. III. §. 6. que inter e-  
jus Selecta J. N. & G. jam prostat. Conf. Gvili. Saldenus de libris varioque  
eorum usu & abusu. Franc. Sacchini Orat. de vita, & lectione librorum  
moribus noxiis, que annexa Tr. de ratione libros rebus legendi.

¶. XXII. Hisce omnibus haec tenus per centus errorum conscientiae causis nervosum robur inducit CONSCIENTIA DIUTURNA, quae velut in alteram naturam degenerat, ac per quam animus tandem sic obdurescit, ut ferme inscius, semper tamen securus erret, eoque difficilius se corrigi patiatur. De OCCASIONIBUS errorum Conscientiae, vid. §. 16. non est, ut multa subjiciamus. Quot enim obvii sunt status, in quibus homines vitam degunt, tot etiam existere possunt occasions, quibus illi ad devastationem conscientiae pessime abutuntur, cum ea supremi legislatoris statuum institutio & coordinatio potius quemlibet ad strenuam officiorum in suo statu sibi incumbentium executionem compellere deberet.

¶. XXXIII. Delabimur nunc ad MORALITATEM Errorum conscientiae, monstraturi, quounque reatum contrahant, vel minus. Ut autem eo distinctius procedamus, sequentia dabimus axioma: I. *Quandocunque error conscientie vincibilis est, ac circa rem per se bonam aut malam versatur, tunc peccat, tam qui contra, quam qui juxta conscientiam agit.* Ejusmodi enim error vel ignorantia voluntatem non antecedit, sed consequitur. Qui enim studio ignorare voluit, hanc vel illam rem esse malam, is etiam studio male agere voluit. Praeterea qui errorem bona actioni obscurum, cum debuisse ac potuisse, non cavit, neque discutit, ei per talem agere placuit, adeoque peccavit, non impediendo, cum eum oportet ac posset peccatum. Demus exempla rei tum per se bonae, tum per se male. Sit v. g. plebejus inter Pontificios, qui lectionem scripturarum sibi ab ipso Deo prohibita esse credat, quam tamen ipsum J. N. indirecte ac remote praecipit, is in gravissimo errore conscientiae adeoque vincibili haeret. Hinc omnino haud leviter peccat, si conscientiam sequitur, & lectionem hanc intermitit. Neque tamen a peccato immunis sit, si curiositate for-

forte an adductus Scripturam legat; quia minus sincere negotium hoc tractat, ac quantum in se est, conscientiae repugnat. Alterum exemplum piratae in mari pacifico suppeditent. De his itineraria memoriae prodiderunt, quod praedictam facturi pro felici successu DEum prius invocent. Jam si artem suam exercent, conscientiam quidem sequuntur, sed vincibiliter errantem & in hoc passu graviter peccant; neque tamen vituperio caret, si contra dictum conscientiae praevis maritimis abstineant, dum abstinentia haec non procedit ex genuino amore legis. Interim gravitas reatus secundum hasce 3, regulas semper dijudicanda venit: 1) *Gravius peccat, bonum per se tale omittens, quam committens.* 2) *Gravius peccat, malum per se tale committens, quam omittens.* Exempla jam memorata illustrationem harum regularium facile superaddunt. 3) *Dupliciter peccat, malum aliquid per se tale non solum contra conscientiam omittens, sed novum insuper malum circa idem objectum contra conscientiam committens.* Sit v. g. gentilis Deastros suos pro veris Deis adeoque religiose colendis agnoscens. Jam contra conscientiam agit, si cultum temere negligit; augetur culpa, si praeterea Deastros suos publice profiliat.

S. XXXIV. Exciptat quis 1) O. contra conscientiam erroneam a gens, bonum quid facit, scilicet errorem evitando. E. non peccat. Resp. Qui contra conscientiam errantem agit, is, quantum in se est, formaliter & interpretative agere non dubitat contra legem & voluntatem Dei, pro qua conscientia dictamen agnoscit, sed temere negligit. Quemadmodum qui contumelias afficit privatum, eum pro Rege habens, ipsum Regem latrissim putatur. Ejus actio materialiter & externe quidem cum lege convenient, sed quia sit ex mala proæfisi, vicia evadit. Hinc recte a junt Moralisticæ: *Contra conscientiam errantem agens bonum agit, sed non bene.* 2) Si conscientiam errantem absque peccato nec sequi, nec negligere possumus, inevitabilis peccandi necessitas introducitur. Resp. Necessestas saltem est hypothetica. Quaridu enim conscientia erronea durat, homo non potest non peccare, sive iuxta, sive contra conscientiam agat. Sed quia præupponimus errorem vincibilem, causa hujus necessitatis penes ipsum hominem residet, qui ad erroris discussionem obligatur, non ex natura legis fluit.

S. XXXV. Ax. II. *Quotiescumque error conscientia est invincibilis, toties*

*toties tantum si peccat, qui contra, non vero, qui juxta conscientiam agit.*  
Error enim invincibilis simul etiam est involuntarius, ac invincibilem  
præsupponit ignorantiam, ideoque imputari nequit. Ut autem im-  
putatio eo magis cesset, simul requiritur, ut errore dete-  
cto nos subeat poenitentia. Quid autem hoc in casu observandum  
sit, vid. §. 11. Nunc exemplo res fieri manifestior. Sit quispiam ele-  
emosynas sincero & iubenti animo distribuens. Jam pecunia, quam  
erogat, in iuste ab aliis parta & ob id minus apta est, quæ in usum  
eleemosynarum transmutetur. Eleemosynarius autem id ignorat, ex-  
stimator, pecuniam hanc bona fide ad se translatam etiam legitimate ac-  
quisitam esse, cuius rei contrarium omni etiam adhibita industria re-  
sciscere non potuisse. Hic dum juxta conscientiam eleemosynas elargi-  
tur, minime peccat, siquidem intellectus totum hunc actum sub ratione  
boni apprehendit, circa objectum reale autem invincibiliter errat. Pe-  
caret autem, si contra conscientiae dictamen beneficentiam hanc inter-  
mitteret.

¶ §. XXXV. Ax. III. *Quandounque error conscientia versatur circa*  
*rem per se indifferentem, si tantum peccat, qui contra, non qui juxta*  
*conscientiam agit.* Ratio duplex est: 1) Quia contra conscientiae di-  
ctamen nihil prorsus agere permisum est. 2) Quia in rebus indif-  
ferentibus datur libertas contradictionis circa unum idemque objec-  
tum, ut licite possimus agere & non agere, sed nonnisi juxta dictum  
conscientiae. Nune subjiciamus exempla, quorum prius omissionem,  
posterioris commissionem actionis indifferentis juxta tenorem conscientiae  
spectabit. Sit v.g. quidam errore prævents, qui choreas in universum  
habeat pro re illicita. Ubi nihil ominis occasione data choreas agit, peccatum  
committit, eo quod conscientiam temere neglit. Si vero choreas  
abstineat, neutiquam peccat, siquidem haec abstinentia per se indiffe-  
rent est, & ab ejus conscientia præcipitur. Viciissim si quis existimet,  
Sabbathi Iudaici celebrationem nondum esse abrogatam, simul tamen  
diem Dominicum esse celebrandum, non peccat, si utrumque diem  
cultui divino impenderet, peccaret autem, si Sabbathi celebrationem  
renitente conscientia intermitteret. Haec tenus de Moralitate seu effe-  
ctu errorum conscientiarum resp. legis. De reliquis effectibus haec pau-  
ca delibasse sufficiat. *Respsit novos subinde pariunt errores, ut ve-*  
*rissi-*

tissimum sit illud πολυθρόντος: Dato uno absurdo sequuntur plura.  
Quibus tandem sèpius accedit pertinacia. Erros autem per-  
tinaces infelix illa scaturigo sunt, unde tot innumeræ profluunt a-  
ctiones vitiosæ non modo societates minores, sed integrum sèpius  
Rempublicam graviter infestantes. *Resp.* aliorum post se trahunt se-  
ductionem, præsestim si incauti sint, l. ad errores illos jam antea pro-  
pendeant.

§. XXXVII. Supereft, ut paucis ostendamus, quibus REME.  
diti errores conscientia feliciter dispelli ac præcaveri possint. Jam ve-  
rissimum est, omnes Erros conscientie potissimum ab ignorantia  
vel superficiaria rerum practicarum cognitione progigni. Er-  
go hic omnis emendationis ab intellectu erit inchoanda, sem-  
per tamen individuo nexo ad latus velut posita voluntatis correctione.  
Nos enim iis pollicem premere haudquam possumus, qui omnem  
mentis emendationem à voluntate ordinandam esse contendunt. Ve-  
rum enim vero cum voluntas nunquam in objectum tendat vel  
tendere possit, nisi id prius ab intellectu quomodounque fuerit  
cognitum, ut adeo unicum emendandæ voluntatis adminiculum sit,  
evidenter consequitur, frustra sperari ullam voluntatis correctionem,  
nisi hujus ipsius rationem intellectus antea cognoverit. Non animus  
nobis est, hanc controversiam prolixius jam excutere, cum ab aliis ex  
instituto jam ad liquidum deducta sit.

§. XXXIX. His ita præsuppositis inter remedia errorum consci-  
entiae primo statim loco commendanda venit I. DEBITA CONSCIENTIAE  
INFORMATIO. Cum vero circa officia nobis a lege præscripta versetur,  
homo ab erroribus sibi cauterus feliciter procedet, si clara, distincta  
& solida earum cognitione conscientiam imbuierit. Agmen ducunt  
officia erga Deum. Quod hæc de existentia Dei prius solide accun-  
tiiore gusto sit convictus. Considerando deinceps rite cognoscat  
ejus essentiam, attributa, opera cultumque ipsi debitum, de  
quibus omnibus clarior lux è Scriptura ipsi affulserit. Succe-  
dunt officia erga seipsum. Eminet hic præstantissima illa Eætropygia-  
tia, de qua nobis elegantia scripta reliquerunt *Tuldenus in Tr. de*  
*Cognizione sui, denovo 1704. cum prefat. Celeb. Budd. edito, & Mr. l'*  
*Abadie in l' Art de se connoître soi même.* Nimirum cognoscat, qui-  
bus morbis intellectus, quibus voluntas laboret, ad quos intellectus  
eius potissimum inclinet, quæ in voluntate sit passio prædominans

& quæ singulis hisce morbis afferenda sit medela. Cognoscat phantasiam, utrum rationales intellectus operationes nonnunquam perturbet, cui proinde justos statuat limites, eique nonnisi res honestas & serias, pro re nata tamen etiam innoxie jucundas subjiciat. Cognoscat temperamentum passionem dominante sufficiens, quod sicuti nimis fervidum sit & excedens, medicamentis quodammodo attenuandum erit. Cognoscat corporis sui constitutionem, & quid ejus conservationi cumprimis expeditat, quo ad animæ subeunda ministeria semper alacre sit idoneumque. Cognoscat statum suum, in quo à Deo collocatus est, & quæ is officia speciatim exigat. Officia erga aliœ quod tandem attinet, non solum generalia humanitatis præcepta, sed infuper quid cuiilibet in specie erat. Sui status aliarumque circumstantiarum debeat, eum scire oportet. Quæ officia fusius jam enucleare haud opus esse censemus

§. XXXIX. Minime vero nuda, steriles & inefficax horum officiorum cognitio sufficit, sed in usum vitæ morumque statim convertenda est. Quoniam vero huic praxi non leve impedimentum ab affectibus objicitur, secundum errorum conscientiae remedium esto II. STRENUA PRAVORUM AFFECTUUM CÖERCITIO. Quæ ut eo felicius succedit, prærequisitur serium animi præpositum omnes suas actiones ad legem divinam componendi. Excitatur illud in nobis, pravorum affectuum turpidinem ac detrimenta innumera probe expendendo. Juvat etiam animo secum volutate præstantiam summi boni, quanta nimur sit felicitas, quanta savitas, animum dulcissima Dei bonitate perfundi citraque fastidium extatari, turbulentis affectibus hue illuc non amplius agitari, sed tranquillum, securum ac supra omnes fortunæ casus positum esse. Quibus accedat oportet, de emendationis nostræ, unde S. B. in nos redundat, indispensabili necessitate esse perspicillatum, quomodo neutiquam in nostro positum sit arbitrio, velimusne Deum amare, nec ne, sed lege inviolabili nos ad illud obstringi. Animo sic præmunito vires periclitandæ sunt, seduloque ad omnes voluntatis motus attendendum, & quam primum in crassos affectus vel actus externos erupturos animadvertisimus, omnes animi vires colligendæ sunt, ut in prima statim herba suffocentur. Jam quo sepius quis ex hoc certamine superior discesserit, eo magis pravorum affectuum insultus languescent, amorque Numinis sua capiet incrementa. Constantia tamen hic opus est, cum in hoc studio non progredi, regredi sit. Nec minus blandientium affectuum irritamenta sedulo cavenda sunt, cum igniculi sub favilla delitescentes sic facile prorumpunt in flamas. Quid circa phantasiam & temperamentum, quorum illa affectus non parum suscitatur, hoc robora, sit agendum, jam s. præced, dictum est,

§. XL.

§. XL. Tertium succedat errorum conscientiae remedium  
felicitet III. ACTIONUM PRAEVIA ET ACCURATA PERPENSIO. Exigit  
hanc prudentia moralis, quæ omnia deliberato consensu peragenda  
esse præcipit. Evitamus hac ratione turpem credulitatem, negligen-  
tiam, præcipitantiam & imprudentiam, eoque tutius & laudabilius  
in agendo procedimus. Fac, quod eventus intentioni non semper re-  
spondeat, animus permanet tranquillus, ac in sinceritate sua non sine  
gáudio acquiescit. Requiritur autem ad accuratam hanc præmedita-  
tionem, ut actionem suscepturn vel omisurus consideret 1) Legem  
tanquam omnium officiorum normam. Quæ cum naturalis & re-  
velata sit, studiose conferat utramque, cum illa in plurimum officiorum  
determinatione deficiat. 2) Actionis circumstantias, quarum potio-  
res sunt Finis seu intentio; hic dispiciat, utrum fluat ex amore legis, an  
ex lenociniis obliqui affectus; Media, quibus tum ipse, tum aliorum  
subsidio instructus est; Res & Personæ, cum quibus ei agendum &c.  
quæ singula suis iterum circumstantiis innectuntur. 3) Actionis necessa-  
rium vel possibilem eventum, ne coecæ velut alex rem committat, ubi  
tamen providentia humanæ locus est. Facit huc, si facta præterita  
conferat, tum sua, tum aliorum, sed prudenter suscepta. Nam alias  
multi

*Committunt eadem diverso crimina fato.*

*Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema. Juv. Sat. 13.*

Instituta sic prævia meditatione verum & bonum ab utriusque faco  
dextre poterit discernere, simûlque superabiles & proæreticos consci-  
tiae errores felici successu declinare. Sicubi vero adhibita omni in-  
dustria scrupulus ipsi remaneat, eligat partem tutiorem ac probabi-  
liorem. Eam vero dijudicabit exinde, si magis provehat gloriam  
Dei, si magis tranquillam reddat conscientiam, si magis adaugeat pro-  
xi ni salutem. At si rationes ab utravis parte in æquilibrio pendeant, a-  
ctio tamdiu suspendenda, do ec antegressis precibus major lux consci-  
entiam irradiet.

§. XLI. Quartum emedium nobis est IV. EXAMEN VITÆ  
QUOTIDIANUM. Laudem sa e merentur Pythagorei & Stoici, hujus-  
modi examen olim secum quotidie instituentes. Et certe pluri-  
num bona frugis habet, misificeque ad Errores Consc. vitandos mo-  
resque sensim corrigendos onducit. Hac enim ratione in latentes  
affectionum actionibus occul e se inimicentium recessus penetramus.

Ex-

Exploramus vires nostras, rasciscimus, quoique in studio virtutis progressi simus, ac quas maculas hinc inde animadvertisimus, in dies e-  
luerem laboramus.

S. XLII. Huc etiam facit V. CONVERSATIO CUM HONESTIS ET PRUDENTIORIBUS. Conversatio, ut supra monuimus, efficacem influ-  
xum habet in mores, ac si prava sit, corruptit & devastat, sin hone-  
sta, transformat & corrigit. Verissimum pariter ac elegans Seneca pro-  
nunciatum est: Nullares magis animis honesta induit, dubiosque & in  
pravum inclinantes revocat ad rectum, quam bonorum virorum conver-  
satio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim preceptorum obtinet,  
frequenter audiri, aspici frequenter. Ep. 94. Nec minus illi in con-  
versando frequenter consulendi, prudenter imitandi sunt, cum experi-  
entia polleant, suis tamen navis, nonnunquam laborent.

S. XLIII. Tandem commendetatur VI. LECTIO LIBRORUM  
VIRTUTUM PRAECEPTA VEL EXEMPLA CONTINENTIUM.  
Etenim praecepta conscientiam informant, exempla confirmant. Pro-  
positis virtute conspicuorum exemplis praecepta velut animantur, co-  
que vividius animo insident, dum veritas eorum per ipsam praxin  
& eventum nobis illucescit. Interim vir prudens etiam e scriptis vi-  
tia recentibus suum eruct commodum, corumque fœditatem ac  
damna secum expendendo tanto acerius odium adversus ea concipiet.  
Quinam vero libri hac in parte potissimum legendi sint, hoc edisse-  
vere, res esset diffusioris negotii. Sed cum jam non amplius nobis  
licet esse prolixis, B. L. qua Philo Ophiam remittimus ad Morhofi Po-  
lybiſt. Tom. III. Lib. I. de scriptoribus Erb. ed. noviss. & Præſibii Tr. de  
variis Methodis tradendi Moralia Kil. ed. 1707. qua Theologiam ad  
Magnif. Dn. D. Olearii Inrod. ad Theol. Casuist. c. XI. & Celeb. Dn. D.  
Buddei nuper ed. Instit. Theol. mor. Proleg. §. 18. seqq.

S. XLIV. Suppedita vimus remedia errorum conscientiae ex ra-  
tione depromta; sed cum sint insufficientia, cum primis adhibenda e-  
runt spiritualia, quæ conscientiam plenarie instruant, simulque  
tranquilliant. Potissima sunt illuminatio conscientiae e divinis oracu-  
lis hausta piis precibus à Spiritu S. adipiscenda, sanctimonia vita,  
Christianæ prudentia &c. Verum istorum mediorum enucleatio ad  
sublimiorem spectat cathedram, quamobrem hic filum abrum-  
pimus, Deum pro concessis viribus debita cum gra-  
tiarum actione venerantes.



00 A 6280


ULB Halle  
002 828 09X


3



56

Q816





L. B. E. V.  
DISSERTATIO MORALIS  
DE  
**ERRORIBUS**  
**CONSCIENTIÆ,**  
QUAM  
CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS  
PHILOSOPHICÆ  
IN  
ACADEMIA LIPSIENSI  
PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI  
d. 17. Jun. MDCCXI.  
SUBMITTENT  
PRÆSES  
M. JO. CHRISTIAN. BARTHUS,  
ZITTAV. LVS.  
ET  
RESPONDENS  
DANIEL Rosenfeld / Lips.  
Philos. Bacc. & SS. Theol. Stud.  
LIPSIAE,  
Typis RUMPFIANIS.